







263 1719. 17 24  
**POSITIONES**  
**THEORICO - PRACTICÆ**  
**ET CANONICO-CIVILES**

QVAS  
OPITULANTE TER SANCTA TRIADE

EX  
DECRETO ET AUTHORITYTE  
*INCLYTI JURISCONSULTORUM ORDINIS*  
IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ELECTORALI  
ERFORDIENSI,

DECANO

DOMINO

**D. ERNESTO TENZELIO,**

JCTO, CONSILIARIO REGIM. ELECT. NEC NON JU-  
DICII ELECT. MOGUNT. PROVINCIALIS ASSESSORE  
ET CONSULE CIVITATIS PRIMARIO ETC.

**PRO SUMMIS**

IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS,

SOLENNI ERUDITORUM VENTILATIONI SISTIT

**CAROLUS PHILIPPUS Böven/**

BRUXELLENSIS,

CELEBERRIMI AC IMPERIALIS MONASTERII ORD. S. BENE-  
DICTI IN MONTE D. MICHAELIS ARCHANGELI PROPE BAMBERGAM

SECRETARIUS,

*DIE XIV. AUGUSTI MDCCXIX.*

LOCO ET HORIS CONSUEtis.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiae Typographi.



POSITIONES  
THEORICO PRACTICAE  
ET CANONICAE  
OPTULANT IN TERRA SANCTA TRINDE  
DECRETO ET AUTHORITY  
INVESTITI JURIS UNIVERSITATIS ELECTORALIS  
IN UNIVERSITATE UNIVERSITATE ELECTORALIS  
DECANO  
DOMINO  
D. ERNESTO TENNELIO  
JCTO CONSILIARIO REGIM ELECT REG NON  
DIGN ELECT MOGUNT PROVINCIALIS ASSORSOR  
ET CONSULE CIVITATIS PRIMARIO ETC  
PRO SUMMIS  
IN STRONGIURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
ELECTORALIS ET CONSULE  
JOHANNIS ERUDITUM UNIVERSITATIS  
CAROLUS PHILIPPUS  
DUX BAVARIAE  
CELEBRANTE AC MENTIS  
DIE 10 JUNII 1685  
A LUDWIG WILHELMUS  
RECTOR





*Reverendissimo, Excellentissimo ac Amplis-  
simo Domino*

DOMINO

**CHRISTOPHORO  
DE GUTTENBERG,**

Celeberrimi ac Imperialis Monasterii Ord. S. Benedicti  
in Monte D. Michaelis Archangeli propè Bambergam Abbati  
Religiosissimo, S. Cæsareæ Majest. Confiliario Intimo,  
Principalis Ecclesiæ Fuldenfis Capitulari, Seniori  
& Zellæ Præposito Dignissimo, &c.

*Domino meo Gratiissimo,*



*Reverendissime, Excellentissime ac Amplissime  
Domine Domine*



Quo Reverendissime, ac  
Excellentissime Domine me  
tanquam Servum Tuum  
in Gratiam admittere di-  
gnatus es, unicæ mihi curæ &  
studio fuit, ut Beneficii me-  
mor pro tanta Benevolentia, quamvis uberio-  
res reddere fas sit, aliquam saltem gratitudinis  
rependam Tibi tesseram: Spe firmiter fretus,  
quod cum proponendo publicæ Disceptioni  
Positiones meas, quasi Messem fructuum Ju-  
stinianeorum, post jacta semina in Athenæo  
Duisburgensi & Mussipontano, colligere fata-  
gam, faventissime condescendere non renues,  
quatenus Nomen Tuum vice tutissimi propu-  
gnaculi proferre mihi liceat, ut ita hoc Monte,  
qui in sinu suo tot præclara Tuorum Majorum  
germina, domi forisque in amplissima posse-  
ritate & Culmine Dignitatum, præsertim in Tua  
Re-



Reverendissima Persona hodie dum fovet, armatus victoriæ adorem consequar, indequè ab Alma Themide Laureata obtinere Brabeja liceat: Tibi & Nomini Tuo Domine & Mœcenas Gratosissime proinde Pagellas has in devotissimæ gratitudinis anathema sacrum, ac cum toto conatu dicatum volo: DEUM ter Optimum orans, ut gubernacula Tua utriusque Regiminis semper prosperè & fortiter gesta, in Annorum Iliades sospes protendas, me vero pro congenita Benignitate Tua, ulterioribus gratiis foveas & firmes, qui usque ad cineres perennat

*Reverendissima & Excellentissima  
Dominationis Tuae*

Devotissimus ac Fidelissimus  
Cliens & Servus,

CAROLUS PHILIPPUS Löwen.

A 5

PRÆ-



## PRÆFAMEN.



QVæ conspectui vestro Viri Consulti-  
mi ac Clarissimi hic sistuntur Cano-  
nico-Civiles & Theorico-Practicae  
Positiones, illas circiter ante quatuor  
annos Mussiponti tum temporis S. Themidi li-  
tanti pro adipiscendo in Utroque Jure Licentiae  
Gradu oppugnandas publice proponere, mihi  
constitueram, verum ad praxin stimulatus, pri-  
us tentare volens ea, quae circa forum versan-  
tur, donec ad praestandum officium Judicis vo-  
catus, nunc positiones easdem licet plane scho-  
lasticas, tanquam Specimen Inaugurale bene-  
volae Censurae Excellentissimorum ac Clarissi-  
morum DD. Professorum Celeberrimae Facul-  
tatis hujus Juridicae submittere, & dein venti-  
landas in medium proferre placuit. Id autem  
ut feliciter exequar, ejus initium sit in Nomine  
Domini nostri JESU Christi, in quo ad omnia  
Consilia atque Actus nostros semper progredimur  
Exemplo Divi Justiniani Sanctissimi Prin-  
cipis *L. 2. C. de Offic. Praefect. Praet. Africa.*

POSITIO





## POSITIO PRIMA.

### DE JUDICE.

#### §. I.

**A**nte omnia Judex cognoscat an sua sit Jurisdictione *L. 2. §. 6. L. 5. ff. de judiciis*, ut sciat se esse judicem *lib. 5. ff. quib. ex caus. in poss. eatur.* : quo cognito ordinem & formam Imperii servet, ne aliter judicet, quam quod legibus aut constitutionibus, aut moribus proditum est. Brevitati litium studeat nec permittat, ut partes ineptis & falsis allegationibus processum remorentur: quò tamen majoris momenti, incommodi ac præjudicii est, quod petitur, eò tardius & consideratius, de eo statuere debet. Sit bonus Christianus *Scacc. gloss. 14. quest. 23. n. 17.* & prudenter attendat, ut in causarum Processibus, nil vindicet odium, vel favor usurper, timor exulet, præmium aut expectatio præmii justitiam non evertat, sed stateram gestet in manibus, lanceas appendat æquo libramine, ut in omnibus, quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis & ferendis sententiis præ oculis habeat solum DEUM:  
non



( 8 )

non enim ut verba scripturæ sonant ipsa, hominis exercet iudicium, sed domini, & quodcunque iudicaverit, in ipsum redundabit. *Klock. de arar. pag. 970. n. 5. 6. 7. 8.* Hæc ubi fiunt, ibi Iustitia floret, & suum cuique tribuitur.

§. II.

Sive in Civili, sive in Criminali causa iudex nec tenetur, nec potest reum, qui probatur publicè nocens quem privato certo sciat innocentem juridicè absolvere. *Covarr. L. 1. var. resolut. c. 1. n. 3. vide Zoef. ad ff. lib. 5. tit. 1. n. 48.*

§. III.

Sed secundum Aëta *Mov. Part. 1. Dec. 87. n. 8.* & petita pronuntiare tenetur: Fatuus enim dicitur Iudex, qui non secundum actirata, & ultra petita pronuntiat. *Carpz. Dec. 193. n. 14.*

§. IV.

Iudex superior non recipere deberet querelas, nisi causa legitimo modo ad ipsam devoluta. *Frank. in rubr. de Appell. n. 4. & seq.*

§. V.

Semper æquitatem Iudex præ oculis habere debet *L. 4 in fine ff. de eo quod cert. loc. dari oport. Schuffcent. 2. consil. 96. n. 7.* eamque potius quam jus strictum sequatur *L. 8. C. de iudiciis*: summum enim jus, summa injuria.

POST-



## POSITIO SECUNDA.

## DE ÆQVITATE.

## §. I.

CUM Jura æquitati tam in judicando, quam sententionando non posteriorem tribuant auctoritatem, non inconcinnum erit æquitatem ipsam ex *Joan. Arnold. Corvin. Jurisprud. Rom. lib. 1.* definire: quod sit duorum pluriumve, inter quos res aliqua est, proportio, vel juxta *Wesemb. de. R. I. Disp. 14. R. 90.* quod sit benignior & humanior legis interpretatio; sententiam legis retinens: hæc in omnibus quidem maximè tamen in jure spectanda est, ac juris rigori à judice in judicando anteponenda *Zoes ad ff. l. 5. tit. 1. n. 38.* latè & pulchrè *Tiraquell. de Retr. gentil. §. 37. n. 2.* Ab hac æquitate celeberrima, at intellectu difficillima originem sumpsit contractuum divisio inter bonæ fidei & stricti juris: quod Prætor in formula directæ ad judices, subindè formulam simpliciter conciperet: judicabis hanc causam, subindè adderet ex æquo & bono, quid autem moverit Prætorem, cur illa verba ex æquo non adderet omnibus contractibus, ex natura eorundem desumendum est, repugnat enim v. g. naturæ mutui in plus obligari quam numeratum est *L. 11 §. 1. de reb. cred. congruit vero naturæ Emptionis L. 7. §. 4. de Pact.*

## §. II.

Nihil æquitati magis convenit quam partum a-  
lere,



lere, quod est juris naturalis, & hoc jus materialiter sumptum etiam in Bruta cadit *Covarr. in c. peccatum de R. I. in 6. part. 2. relat. §. 1. n. 4.*

§. III.

Sic & æquum est, ut quod quisque obrutelam sui corporis fecerit, id jure fecisse existimandus *L. 3. ff. de bon. cor. qui ante sent. mort. sibi consero.*

§. IV.

Æquitati conformè est Rescriptum Moratorium, si miseris Debitoribus concedatur *Stryk. dissert. Jurid. Hallens. Disp. 8. cap. 2. §. 1.* non sistet tamen cursum usurarum *arg. L. 2. Cod. de Prec. Imper. offer.*

§. V.

Ut Jus naturale, ita & æquitas naturalis Immutabilis *§. II. Instit. de J. & J.*

## POSITIO TERTIA.

### DE TRANSACTIONIBUS.

§. I.  
**I**N litem descendere est res periculosissima, multi enim non rarò sub justo etiam pereunt clypeo, & sæpè plus valet favor in Judice, quam lex in Codice: insuper verecunda ejus cogitatio, qui lites execratur non vituperanda per *L. 4. §. 1. de alien. jud. mut. caus.* nec enim prudenter fortunæ arbitrio committitur, quod per transactionem obtineri potest, ob vulgatum illud: utilius macre concordium quàmvis pingui sententiâ. *Transactio autem est conventio L. 1. §. 3. ff. ac Pacè. quæ fit inter duos pluresve vel rei dubiæ com-*



componendæ & decidendæ causâ *L. 1. hic dato aliquo*,  
vel retento, vel promissio *L. 38. C. de transact. vide*  
*Brunn. ad L. 38. C. hic stricti juris est L. 99. ff. de V. O.*  
ad hoc inventa, ut finis litibus imponatur *L. 1. ff. L.*  
*6. C. hoc tit. hinc necesse est, nullam transactionem*  
posse fieri de re certa, ubi nulla lis vel dubium versatur  
*Brunn. ad L. 1. hoc tit. nec minorem auctoritatem ha-*  
bet quam res iudicata. *L. 20. C. de Transact.*

§. II.

Nec in transactione locum habet. *L. 2. C. de Re-*  
*scind. Vend. L. 78. §. fin. ad sciũ trebell. L. 16. 19. 23. C.*  
*hic cap. 1. X. de trans. Harpr. ad §. fin. Instit. de Empt. n.*  
*165. ita in Praxi Mev. P. 2. D. 245. n. 9. Viv. lib. 3. Decisf.*  
*429. & in Camera Imperiali receptum. Gail. 2. obsf. 70. n.*  
*11. Lauterb. Exercit. 9. th. final.*

§. III.

Et quotiescunque ex transactione aliquid datur,  
dans ad Evictionem tenetur. *Caldas de Empt. c. 31. n. 114.*  
*Berlich, p. 1. Concl. 24. n. 45. Hart. Pistor. obsf. 227. n. 36.*  
*Brunn. ad L. 33. C. hic.*

§. IV.

In spiritualibus transactio non admittitur. *Zoesf.*  
*lib. 2. ff. tit. 15. n. 16. Herthals lib. 1. X. tit. 36. fol. 103.*

§. V.

Sic beneficia transactionem non admittunt pro-  
pter vitium simoniæ, quod induceret transactio, quæ  
non est gratuita *Zoes. ibid.*



## POSITIO QUARTA.

## De SERVITUTIBUS.

## §. I.

VARIÆ servitutum constituendarum sunt causæ; nam non tantum immediatè à lege servitus acquiritur ut in *L. 10. & 12. de Religios.* & in *L. fin. §. 1. C. hoc tit.* sed etiam à consuetudine *Bocer. class. 8. Disput. 8. th. 66.* porrò & à Judice, veluti in *Judiciis Divisoriiis* id fieri potest. *L. 22. §. 3. famil. Erisc.* & *L. 7. §. 1. ff. commun. divid.* & à quolibet privato, jure Domini in re sua constitui servitutem quocunque titulo, nec non longà quasi possessione acquiri posse dubio caret. Ad- do quamvis id paradoxon videri queat, solo naturæ jure servitudes quasdam constitutas conspici: quæ ser- vitus est jus in re aliena alteri à natura constitutum, cujus vi & potestate dominus istius rei naturaliter ad alterius utilitatem aliquid pati, aut non facere in suo tenetur. arg. *L. 1. §. fin. de aqu. & aqu. pluv.*

## §. II.

Quarum primo loco se offert servitus aquæ reci- piendæ *Lib. 1. §. fin. de aqu. & aqu. pluv.* cujus exem- plum affert *Cepolla de servit. R. P. c. 4. n. 77.*

## §. III.

Hinc si quis naturalis hujus servitutis usum op- positis aggeribus, vel alio modo impedire cogatur, actioni de aqua pluvia arcenda locus est per dictam *L. 1. §. 1. & 13.*

## §. IV.

Sic transitus inter liberos populos per alienum Terri-



Territorium fluit ex jure naturæ, etiam cum exercitu *Grot. lib. 2. de J. B. & P. c. 2. § 13. n. 2.* modo transitum talem postulans idoneam cautionem præstet. Vide *Rec. Imp. de Anno 1670. §. und was vor etlichen 5. nec dominus territorii justam habeat denegandi causam.*

§. V.

Tum etiam vi & armis vindicari potest. *Grot. d. loco §. 13. Reinking. Biblische Pollicey L. 2. axiom. 139.*

## POSITIO QUINTA.

### DE CONDICTIONE INDEBITI.

§. I.

Subtilis est materia de conditione indebiti constat tamen ex *L. 53. & cap. 13. X. R. J.* quod solvi indebitum debeat per errorem, indebitum accipiendi pro eo, quod jure naturæ non debetur, nam naturale debitum verè debitum est, & hoc est, quod famosus *J. Crus Cujacius* tractatu 9 ad africanum in explicatione famosissimæ in hac materia *legis frater à fratre*, hisce verbis expressit: *sciendum est conditionem indebiti non dari ei, qui solvit, quod naturà debuit, licet id jure civili non debuerit, dari ei, qui per errorem solvit, quod naturà non debuit.* Error autem aut juris, aut facti est: per ignorantiam facti, soluti repetitionem competere notum est, per ignorantiam vero Juris cessare, uti scripserunt *Imp. Diocletianus & Maximilianus in L. 10. Cod. de Jur. & fact. ignor.*

§. II.

Quæ ut facilius intelligantur, quæro, quomodo in

B 3

d. L.



d. L. *frater à fratre* possit dari conditio fratri contra fratrem? quia verum consistit mutuum inter duos fratres in potestate patria existentes?

§. III.

Magna est Interpretum Controversia, an errore juris solutum repeti possit: & licet negativa communior videatur, affirmativam tamen defendo in casibus ubi nulla subest naturalis obligatio, jure civili agnita L. 7. *Cond. ob caus. da.* L. 8. *de jur. & fact. ignor. L. cwen. cens. for.* L. 4. 14. 3. *Vinn. in select. quest. lib. 1. q. 49.* ita moribus in germania receptum scribit *Schilter. Exercit. 24. §. 33.* confer. *Hahn. ad Wesenb. h. t. Richter. decis. 68. n. 32. & 96. Bachov de Act. Disp. 4. th. 17. Brunn. ad L. 7. C. hic.*

§. IV.

Sed quid de errore facti? omnes admittunt repetitionem.

§. V.

Rectè tamen excipitur casus dotis *arg. L. 32. & §. 2. hoc tit. Schilter. Exercit. 24. §. 29. Voet. lib. 12. ff. tit. 6. n. 8. Mev. Part. 2. dec. 199. n. 5.*

## POSITIO SEXTA.

### DE SOCIETATE.

§. I.

**S**ocietas est contractus consensualis, J. Gent. *Corvin. in Elem. jur. civ. lib. 3. tit. 26.* nominatus L. 7. §. 1. *de Pact. bonæ fidei L. 19. h. tit. de rebus, operis in commune conferendis lucri participandi gratia Frantz. in*



*in Comment. ff. n. 49.* hic est vel universalis, vel particularis *L. 13. §. 1. L. 7. ff. pro socio*: contrahitur ad certum tempus, vel in perpetuum *L. 1.* vel ex tempore, vel sub conditione *L. 7. Cod. de instit. & substit. tam cum liberis personis, quam cum servis L. 18. ff. pro socio*: imò cum omnibus, quibus non interdictum est, *L. 24. §. 1. ff. de Minorib. L. 5. Cod. de oblig. & Act.* est enim de genere permissorum, quorum facultas omnibus competit, quibus non expressè prohibetur *Wesenb. in parat. ff. de Pact. n. 9.* non solum autem de rebus corporalibus contrahitur societas; sed etiam incorporalibus *L. 71. hoc tit.* imò generaliter definiendo de rebus operis omnibus honestis. *Bocer. Class. 2. d. 5. th. 6. lit. C.*

§. II.

Non valet tamen Pactum, ut heredes in societate succedant. *L. 53. ff. pro socio.*

§. III.

In hoc contractu non solum dolus, lata culpa; sed etiam levis præstanda venit. *L. 3. ff. pro socio Carpz. P. 2. constit. 26. def. 12. n. 6. Falckner in diseri. ad L. 13. de R. J. th. 8.*

§. IV.

Post constitutam autem societatem expressè resolvitur renunciatione, non solum omnium sociorum; *L. 6. §. 3. hoc tit.* sed etiam unius. *Brumm. ad L. 1. Cod. pro socio.*

§. V.

Socii si plures sint diversæ jurisd. omnes coram omnium superiore Judice conveniendi sunt. *L. 1. ff. de quib. reb. ad eund. jud. catur.*

POSI-



POSITIO SEPTIMA.  
DE EMPTIONE VENDITIONE.

## §. I.

**E**Mptio Venditio est contractus consensualis, nominatus, *J. Gent. L. 1. §. fin. h. r. t. bonæ fidei L. 11. §. fin. de A. E. V. de re pro certo pretio tradenda L. 1. §. fin. hic. fit sine, vel in scriptis. vide Andr. Fromman. de Convent. in script. §. 24. de rebus quæ in commercio sunt, Ulp. tit. 19. §. 4. five corporalibus five incorporalibus L. 2. Cod. de O & A. mobilibus vel immobilibus, tam sub conditione, quam purè contrahitur: etiam variis adjectis Pactis *Schultz Exercit. 14. Conc. 10.* Emere vel vendere possunt omnes, qui contrahendo se obligare valent, nec specialiter ab hoc contractu excluduntur *Mæstert. h. t. q. 3.* statim dicitur perfecta, quamprimùm contrahentes de re vel pretio consenserunt *L. 15. de peric. & commod. sic actio empti & venditi hinc indè prodit, quâ utrimque ad contractus consummationem contenditur, tum venditor pretii numerationem postulat, emptor rei traditionem.**

## §. II.

Et ita quidem, ut venditor, si rei tradendæ facultatem habeat illam præcisè tradere teneatur. *L. 21. ad L. Cornel. L. 7. 8. §. 1. hic L. 35. C. de donat. L. 5. C. de O & A Oldendorp. Clas. 4. act. 1. n. 7.* ita in praxi receptum, uti ait *Faber. in Cod. de Pact. Schneid. in §. 28. Instit. de Act. & empt. n. 21. Myns. 4. olf. 61. n. 5.*

## §. III.

Imò, si forte emptione acceptata aliquid archa-  
rum



rum nomine solutum; ne quidem cum earum amissione vel venditor cum dupli restitutione recedere potest.

*L. 5. C. de O & A. Vnu. Instit. lib. 3. tit. 24. n. 12.*

§ IV.

Si tamen Venditor Emptorem deceperit, affirmando rem liberam, dum non est, quâ cognitâ emptor non contraxisset, refelire poterit. *arg. L. 11. §. 5. de A& Empt. L. 25. §. 1. de Except. Rei judic.*

§ V.

Emens rem pro se fit Dominus, licet pretium solverit de pecunia aliena *L. 3. C. si quis alteri vel sibi L. 25. §. 1. ff. de petit. hered. Math. Coler. Dec. 52. n. 40. Part. 1. & Dec. 286. n. 86.*

## POSITIO OCTAVA.

### DE EVICTIONIBUS.

§ I.

**A**D Emptionem Venditionem pertinet, ut si rem venditam tertius evincat, & per Judicem emptori auferat, emptor, & qui illi par fuerit, à Venditore indemnis servetur. Evictionis enim præstatio est de natura Emptionis *Sichard. ad rubr. h. t. n. 9.* etiamsi nihil super ea in contractu conventum *L. 6. C. h. t. ita in Cam. Imperiali Gail. 1. 116.* in se & suâ naturâ Evictio est rei ab aliquo possessæ ad instantiam illius, qui melius jus in re habet, per Judicem facta ablatio, relative vero considerata nihil aliud est quam satisfactio, seu refusio illius, quod alicui, ob rem legitime evictam abest *Lauterb. ff. lib. 21. tit. 2. N. 2.* Evicta

C

cta



Et res dicitur cum spes habendi abscissa est, nec interest quo genere iudicii evincatur, puta rei vindicatione, actione Hypothecaria, restitutione in integrum &c. L. 34. § 35. h. t.

§. II. Cum res evincitur, seu emptori super re lis movetur, debet venditori nunciari, ut is ad defendendum veniat L. 8. § 24. C. hic. Hodie pragmatici desiderant, ut una cum denunciacionis Libello Acta Venditori communicet. *Caballin. de Evict. §. 3. n. 38.* adde *Mev. P. 8. D. 465.* in Cam. Imper. ad supplicationes pro citatione ad assistendum liti, & praestandam evictionem, liti denunciatoriales decerni solent. *Klock. vot. Cam. relat. 1. N. 271.*

§. III.

Hæc facienda est venditori, etiamsi scientiam litis motæ habeat. L. 8. § 20. hic. L. 7. § 70. C. de evict. *Margil. de evict. q. 4. N. 14. Molina D. 380 n. 8. Umm. disp. 11. N. 70.*

§. IV.

Si pro emptore lata est sententia existimo venditorem ad expensas liti agitæ causa factas emptori refundendas teneri arg. L. 11. §. 8. § 13. de A. E. V. L. 79. h. t. *Fachin. lib. 2. cap. 39. Caball. §. 3. n. 146.* Cautius tamen mercatur qui venditorem per pactum indistincte obliget ad impensas refundendas. vide *Stryk. de caus. contract. sect. 2. cap. 8. §. 44.*

§. V.

Post rem jam evictam, seu ab emptore amissam, contractus in nihilum recidit, & est emptori ad pretii restitutionem petendam ex empto actio, in quam etiam



etiam venit quanti interfuit rem non esse evidam  
*Glofs. & Bald. in L. servus quem a me §. ult. ff. de Ad.  
 empt.*

**POSITIO NONA.**  
**DE USURIS.**

**U**Sura consideratur ex Jure Canonico & Civili  
 & quatenus sacros canones spectamus, usura est  
 quidquid ultra fortem exigitur vi mutui veri vel pal-  
 liati, non considerato an sit ejusdem, an diversi gene-  
 ris *vid. Fagnanum ad cap. Naviganti X. b. t. r. 44. & seq.*  
 at juxta Constitutiones Civiles usura ejusdem generis  
 admitti dicuntur *L. in C. b. t. Penet in Cod. b. t. N. r.*  
 usura etiam spectato Jure Civili odiosae apud Roma-  
 nos fore, licet aliqua usurarum magis odiosae fue-  
 rint quam aliae, Aharocismus enim in totum impro-  
 batur *L. fin. C. b. & scenus* tanquam improbum de-  
 scribitur in *L. 26. ex quibus causis* sic filii familias pecu-  
 nias sub usuris acceptas solvere non tenebantur, sed  
 exceptione S. C. i. Macedoniani repellere poterant agen-  
 te creditorem, quare in perpetuum odium illud S. C. i.  
 non a Senatore, sed ab improbo fenatore Macedone  
 nomen sortitum est: neque etiam eadem severitate  
 processerunt Sacri Canones, quare distinguendum  
 utroque jure inter usuras lucratorias, & compensato-  
 rias & punitorias. *§. I. de usuris*  
 Lucratoria solvitur praecise propter lucrum cre-  
 ditoris, & dicitur factus quasi factus pecunia. *S. J.*



*J. J. C. h. i. th. 43. Jure Civili approbata fuit, non etiam Jure Canonico Job. Grivel. decis. 149. n. 7. X. & in 6. de usur. c. 2. dist. 47. Clem. un. de usur.*

§. III.

Usura compensatoria, quæ est compensatio ejus quod Creditoris interest usum pecuniæ suæ non habere L. 58. §. 6. ad SCtum trebell. L. 4 C. de depof. hæc omni jure licita est. vide *Rec. Imp. de Ao. 1500. & 1530. & 1577. sub tit. von Wucherlichen Contracten.*

Punitoria solvitur ratione Moræ L. 1. §. 1. L. 17. §. 3. h. & utroque jure permiffa. vide *Byma. ad L. 1. & §. 2. ff. h. t. & tr. de usur. n. 6. p. 541. Blum. tit. 34. n. 102. nec jure naturæ adversantur usuræ. Struv. Exercit. 27. lib. 22. tit. 1. th. 43.*

§. IV.  
Omnibus notum est usuras usurarum stipulari & peti non posse. L. 28. C. de usur. L. 20. ff. cod. *Zanger. tract. de except. Part. 3. c. 25. num. 15. & seq.*

POSITIO DECIMA.

DE FRUCTIBUS.

§. I.

**U**suræ, ut lucrum, interesse vel pœna petuntur, fructus verò ut nostri, vi actionis aut officio judicis nobis debentur; & ideo secundo loco post usuras agitur de fructibus, qui si cum hereditate petantur, via actionis veniunt, quia augent ipsam hereditatem, sin verò titulo particulari res vindicetur, officio



officio Judicis debentur, quia quidquid ex re mea nascitur meum est L. 49. §. 1. de R. V. nec tantum domino; sed & bonæ fidei possessori perceptionem fructuum II. Romanæ tribuere, partim ratione curæ & culturæ pro ut ait Justin. in §. si quis à non Domino 35. Inst. de R. D. partim verò ratione bonæ fidei, propter quam loco domini penè est. l. qui scil. §. 1. de usur. L. 48. hic idemque Juris habet, quod dominis prædiorum tributum est. Usufructuario verò fructuum perceptio titulo duntaxat servitutis competit Vinn. Inst. lib. 2. tit. 1. §. 37. Colono, titulo contractus ibid. ac marito ex fundo dotali ad sustinenda onera matrimonii L. 7. de jur. dot. L. 20. C. eod. at cum malæ fidei possessor omni prorsus destitutus sit titulo percipiendi fructus, nullos suos facit L. 22. C. de R. V. Zoef. lib. 41. ff. tit. 1. n. 75.

§. II.

Bonæ fidei possessor acquirit omnes fructus, tam naturales quam industriales L. 48. h. t. Faabin. lib. 1. cap. 57. Ludwell & Hoppius ad §. 35. Inst. de R. D. & quidem quos recepit revocabiliter L. 22. C. de R. V. Hahn. de R. V. n. 17. quos etiam consumpsit irrevocabiliter L. 4. §. 2. fin. regund.

§. III.

Etiamsi de iis locupletior sit factus L. 22. C. de R. V. ita in Praxi Pinell. in L. 2. C. de Rescind. vend. p. 2. c. 4. n. 60. Peck. in cap. possessor n. 13. de R. I. in 6.

§. IV.

Possessor malæ fidei non solum quos percepit; sed & quos negligentia sua non percepit à litis conte-



statione omnes indistincte restituet L. 10. h. L. 33. L. 62. §. 1. de R. V. L. 5. C. eod. Buf. ad L. 20. de heredit. petit.

§. V. Verus heres s. Verus heres rei alienae non habeat, succedit in malam fidem & vitium personale defuncti, ejusque pars habenda fortuna est. L. 11. de divers. & tempor. prescript. Brunn. Exercit Justin. 8. ad §. 12. de usucap. n. 7. & in v. l. II.)

## POSITIO UNDECIMA.

### DE MORA.

#### §. I.

**I**N eodem titulo ff. etiam agitur de Mora, quod haud raro causa est accessionum & usurarum, cujus definitio difficilis est, ut *Pomponius lib. 12. Epist. scripsit*, nam an mora facta intelligatur, neque constitutione ulla, neque juris authorum quaestione decidi potest: cum sit magis facti quam juris L. 32 dividitur in Regularem seu quae secundum regulas juris contrahitur mediante interpellatione quae si fiat ab homine juridica esse debet. *Donell. de Mora c. 5. vide à Bayna tr. de Mora*: nam quae fit non juridice, admonitio est, non interpellatio: & siquidem juridice facta sit sed extra iudicium, extrajudicialis vocatur, sin verò in ipso iudicio, judicialis, si verò interpellatio fiat per lapsum diei, plurimum controvertunt interpretes, an illa interpellatio sufficiat: Irregularis est, quae sine interpellatione contrahitur favore minoris ætatis, vel odio furis &c.

§. II.



Dum fit interpellatio hominis, debet creditor instantiam repetendi debiti non omittere, ut respondet Marcianus L. 32. §. 1. de usur. non tamen recte concludes ex hoc responso, quod non sufficiat unica Interpellatio ad moram L. 32. b. tit. adde Dn. Stryk. de pug. Moræ c. 1. n. 20. Menoch. A. J. Q. cas. 220. n. 19.

§. III.

Dies interpellat pro homine L. 114. grivell. Dec. 149. n. 19 L. 2. C. de iurc Emph. L. 12. C. de contrah. stipul. Mys. cent. 3. obs. 95.

§. IV.

Furem semper moram facere respondet Ulpianus in L. 8. §. 1. de Cond. furt. idque non solum quo ad usuras, sed etiam quo ad rem principalem, ita ut res pereat furi, licet eodem modo perisset apud dominum Arum. c. 4. à Bayma d. tr. n. 4. Bruun. in Cod. tit. 7. L. ult. n. 3.

§. V.

Mora facit, ut quis teneatur de casu, sic bonæ fidei possessor casu non liberatur, si moram in restituendo fecerit L. 30. ff. de petri. heredit. Mora enim transfert periculum in possessorem L. 23. ff. de R. J.

POSITIO DUODECIMA.  
DE TUTELIS.

§. I.

Tutela dicitur à tuendo, unde in L. 30. de Administ. & peric. tut. dicitur: Tutoris præcipuum est officium, ne indefensum pupillum relinquat: estque tutela



tutela facultas, testamento, lege, vel autoritate Magistratus concessa, ad tuendum eum qui ob defectum ætatis, sibi prospicere nequit, ex qua definitione patet tutelam dividi in testamentariam, legitimam & dativam. Tutores omnes hodie *ex Rec. Imp. de Anno 1548. & 1577. tit. von der Pupillen 37. § 7.* indistinctè ante susceptam administrationem sententia vel decreto Magistratus confirmari tenentur *Mev. Part. 8. Dec. 90. n. 6.* in Cam. Imper. ad supplicam pro confirmandis tutoribus pupillo immediatè imperio subjecto ita decerni solet: *Seynd hie mit benannte zu Vormunderen / jedoch daß sie zuserst gewöhnliche Eyd / und obligation thun / verordnet.* Quæ verò in illa supplicia observanda sint vide *Blum. tit. 42. n. 5.* ex his tamen non sequitur omnem tutelam esse dativam.

§. II.

Plures tutores in solidum tenentur *L. 55. de Administ. & peric. tut. L. 38. §. 1. ibid. nov. 118. c. 5. Montan. c. 39. n. 94.* si omnes solvendo sint, excussionis beneficio gaudent *L. fin. C. de tutorib. & curat.* nisi omnes administrationem neglexerint *L. 39. §. 11. d. 1.* sed ex æquitate illis divisionis beneficium conceditur. *d. L. 38. Carpz. p. 2. Const. 11. def. 26.*

§. III.

Rationis reddendæ necessitas à Patre testamento remitti non potest. *L. 1. §. Julianus de Adm. tut. ex constitutione Caroli V. quotannis reddi deberet.*

§. IV.

Mater filio non aliter tutorem dare potest, quam si eundem heredem instituerit *L. 4. C. de test. tut. Hilfig.*



*lig. in Donell. l. 3. c. 5. litt. B. datus tamen confirmatur à JUDGE Guittierrez de tut. p. 1. c. 5. n. 7. interdum ex necessitate, interdum ex voluntate vid. l. 4. ff. §. l. 4. C. de Testam. tut. l. 2. ff. de confirm. tut.*

§. V.

Tenetur tutor de dolo, lata culpa & levi l. 7. C. arbitr. tutel. l. 23. ff. de R. J. non de alio quovis casu *Mev. Part. 7. Dec. 198. num. 3.*

## POSITIO DECIMA TERTIA. DE JURE ACCRESCENDI.

§. I.

**J**us accrescendi definiri potest jus, quo pars vacans agnitæ parti accedit, & ut ait Doctiss. *Cujacius* est rentio solidi non concurrente socio. Jus illud dividitur in testamentarium & legitimum, testamentarium inter coheredes ex tacita testatoris voluntate inducitur, ne quis pro parte testatus & intestatus decedat: quâ ratione testator non potest expressè prohibere jus accrescendi *salic. in L. 13. C. de hered. instit. Fachin. lib. 4. c. 15.* tacitè tamen substituendo potest *Fachin. ibid.* nam substitutus præfertur conjuncto, quia substitutus venit ex voluntate Defuncti expressa, conjunctus vero ex tacita, ideo substitutio excludit jus accrescendi, *L. 2. de Bon poss. secundum tab.* legitimum est quod inter successores ab intestatò locum habet, & ex legis auctoritate descendit, nam portio ab uno acquisita, trahit ad se portionem vacantem, quia partem hereditatis agnoscere, & aliam repudiare non licet *L. 1. §. 2. de acquir.*

D

acquir.



*acquir. vel omitt. hered.* receptum idem fuit jus accrescendi inter legatarios ex tacita testatoris voluntate propter conjunctionem: conjuncti sunt in triplici differentia.

§. II.

Alii sunt re & verbis conjuncti, quibus eadem res conjunctâ oratione relinquitur: ut Titio & Mævio fundam Tusculanum do lego: inter hos locus est juri accrescendi *L. un. §. 10. C. de Cad. tollend. §. 8. Inst. de leg. L. 80. 89. de legat. 3.*

§. III.

Alii sunt re conjuncti, quibus eadem res separatâ oratione relinquitur: ut Titio fundum Tusculanum do lego, Mævio fundum Tusculanum do lego, & his quoque accrescit *d. l. un. §. 8. Inst. de legat. Carpz. 3. c. 2. D. 14. n. 1.*

§. IV.

Alii verbis tantum, quibus conjunctâ oratione res eadem legata ex æquis partibus: ut Titio & Mævio fundum Tusculanum do, lego ex æquis partibus, videtur dicendum esse, & inter eos jus accrescendi esse *L. 16. §. fin. de legat. 1. l. 89. de legat. 3. L. 3. de usuf. accresc. Carpz. P. 3. c. 3. D. 14. n. 15. Hahn. de usuf. accresc. Donnell. lib. 7. cap. 13. Brunn. ad L. un. C. de Cad. tollend. Modest. Pistor. Part. 1. n. 6. L. 142. Sanutti Inst. de legat.*

§. V.

In Militis testamento jus accrescendi non procedit *L. 6. ff. de testam. Milit. Brunn. in Cod. lib. 6. tit. 21. n. 6. & seq.* Miles enim pro parte testatus & pro parte intestatus decedere potest *L. jus nostrum de R. I. Carpz. P. 3. Jurispr. const. 2. de fin. 5.*

PO-



## POSITIO DECIMA QUARTA. DE DECIMIS.

### §. I.

**D**ecimæ jure naturæ oblatæ, jure divino præceptæ *Numer. 18. v. 21. & 24. Deut. 16. v. 12.* Jure Ecclesiastico confirmatæ fuere *cap. cum contingat. 29. X. l. 1. Rebuff. q. 2. n. 2.* sed plurimos confirmationi restitisse referunt Historici, imò & Clericos decimis suis fraudasse: quibus *D. Augustinus* minatur: dabis improbo militi, quod non vis dare sacerdoti, & *Innocentio 3tio* in *cap. fundamentali* eadem quærelæ propositæ fuerunt, quod quidem Laici decimas Ecclesiis peruersis machinationibus subtrahere malignentur, tum ratione seminis, tum ratione sumptus, qui fiunt in agricultura, tum ratione portionum fructuum, non nulli etiam plus justo addicti pauperibus, iis potius quam Clericis attribuant, alii vitam Clericorum abominabilem detestantes decimas subtrahere non verebantur, quibus quærelis rescribens *D. Pontifex Veracellensi Episcopo*, decimas deberi ait in cognitionem directi domini DEI, esse tributa pauperum. Cum verò præfatus Pontifex respondeat, quod similes assertores jus Ecclesiasticum diminuunt, & tributa secularium cum decimis conferant, sumptusque detrahi velint, sequentes propono Quæstiones:

### §. II.

An Decimæ hodiè solo Jure Ecclesiastico debentur? quod verò similis est *Herthals lib. 3. X. tit. 30. &*



30. & consuetudine tolli aut minui possunt. *cap. 32. § fin. h. t.*

§. III.

An rectè procedat argumentum : novus possessor tenetur Principi tributa, ergo & decimas ? quod non puto. *Herthals ibid.*

§. IV.

An sumtus non debeant deduci ex decimis prædialibus ? quod veriùs est. *cap. 7. X. h. t. c. Pastoralis 28. X. h. cap. 22. 26. 27. X. h. l. Herthals d. l. Rebuff. q. 11. n. 4.*

§. V.

An is, qui habuit jus percipiendi decimas fœni ex pratis quibusdam, retineat illud jus, si Prata aratro profcissa nunc colantur, & ex iis frumentum colligatur ? R. affirmativè *c. commissum X. de Decimis*, quia per mutationem qualitatis, seu formæ, non mutatur ipsa substantia fundi, vel loci ex quo quis decimas percipere solitus fuit.

POSITIO DECIMA QUINTA.  
DE ARBITRIS.

§. I.

**A**Nte Consilium Lateranense sub *Innocentio 3tio* talis in judiciis Ecclesiasticis abusus invaluerat, ut plerumque res non tantum Ecclesiasticæ; sed & merè spirituales Laicorum arbitrari atque compromisso definiendæ committerentur *Innocentius 3tius* Jurium Ecclesiæ Zelatus in *consilio suo lateranensi*. Hunc abusum proposuit, perpenfis hinc inde rationibus definiendum tandem



tandem S. Synodi Patres : Laicos causas spirituales etiam per compromissum sibi mandatas cognoscere aut definire non posse. Ne alias sacerdotium cum Imperio confundatur, & potestas Clavium cum jure scepri, cum jus utrumque propriis terminis & finibus consistat. Arbitros autem partes sæpè præferunt aliis judicibus, & sibi, ut causæ controversiam cognoscant, privatâ autoritate constituunt, *L. 5. §. 1. C. hic.* Et siquidem assumpti sint arbitri, ut statuunt, quod justum videbitur sine ullo juris ordine, arbitratores seu amicabilem compositores dici solent, quorum arbitrium si iniquum sit, reducitur ad arbitrium boni viri. *l. 79. §. seq. pro soc. Herthals lib. 1. X. h. t. in pr.*

§. II.

Ad litium protelationes, & impensas vitandas arbitria conducunt *Richter P. 1. c. 64. n. 25.* vel in unum arbitrum compromitti potest, vel in plures, consultius in impares numero, ne res maneat sine exitu. *Herthals lib. 1. X. tit. 43.*

§. III.

Non potest compromitti in Laicos super causis spiritualibus vel Ecclesiasticis *cap. 3. hic. Barbosa de offic. & potest. Episcop. P. 3. alleg. 84. n. 33.*

§. IV.

Effectus compromissi est, ut sententiæ sive æqua sit, sive non, stari debeat *cap. 1. §. 8. X. h. t. l. 16. C. de trans. l. 37. ff. de arbitr.*

§. V.

Nec ab ea potest appellari. *l. 1. C. de arbitr. Carpz. P. 1. cons. 1. def. 13.* nec reduci ad arbitr. boni viri  
D 3  
*Perez.*



( 30 )

*Perez. in C. h. t. n. 14. vid. in Gail. l. Olyo. n. 9. & 10.  
Secus res sese habet in arbitris juris. cap. ex arbitris  
de offic. deleg. in 6. Heythals lib. 1. A. tit. 43.*

## POSITIO DECIMA SEXTA. DE DISPENSATIONE.

### §. I.

Dispensatio sumitur proprie pro juris relaxatione, seu pro exemptione ab obligatione legis, unde dispensatio differt à legis interpretatione, quod hæc sit opus scientiæ & prudentiæ: illa verò Jurisdictionis. Causa efficiens dispensationis est dispensans. Subiectum est is cum quo dispensatur, objectum seu materia est lex humana, quæ hoc ipso, quod à libera voluntate hominum proveniat, ut ipsa voluntas mutabilis est, ideoque sub dispensationem cadere potest. Forma dispensationis consistit in legitima exemptione alicujus vel aliquorum à lege: ut autem talis sit, necesse regulariter est, ut fiat ex justa causa puta necessitatis, utilitatis, vel pietatis *c. 6. causa 1. q. 7. trid. sess. 2. de reform. c. 18. finis & effectus est liberatio dispensati à lege, quâ alias obligaretur, & sic sufficiens dispensatio facit, quod alias esset illicitum* *Gloss. penult. in cap. dudum il. 2. ext. de Elect.* dicitur autem sufficiens, quando est concessa ab habente potestatem, & quod sit facta cum expressione eorum, quæ poterant retardare concedentem *c. non potest infr. de preb.*

### §. II.

Summus Pontifex potest dispensare non tantum  
ad



ad duo, sed etiam ad plura Beneficia, nec tantum ad inferiora, & simplicitia, sed etiam ad curata, personatus & dignitates, estque perinde sive illa sint sub diverso, sive sub eodem tecto, uniformia seu difformia pro ut colligitur ex *L. de multa 28, de prae. in fin. c. licet 2. cod. in 6. clem. 1. ut lit. pend.*

§. III.

Dispensatio circa pluralitatem beneficiorum à Pontifice facta etiam sine justa causa valida est. *Schmalzgruber X. tit. de Præb. & dignit. n. 142.* quia his provifus ad nullum illorum jure naturæ inhabilis est; & illa fimul licitè retinere potest *Sanch. l. 2. conf. c. 2. dub. 6.* quia accipit ab eo, qui poterat legitime conferre, & qui sciens ac prudens illa contulit.

§. IV.

Dispensatus ut possit retinere duo beneficia quæ continuam residentiam personalem, adeoque incompatibilitatem exigant, etiam dispensatus censerì debet super ipsa residentia, ut in uno eorum residere sufficiat. *Schmalzgrub. d. l.*

§. V.

In dubio an gratia vel dispensatio Apostolica sub- & obreptitiè fuerit impetrata, pro valore gratiæ, & exclusione sub- & obreptionis, quam contra præsumere oportet. *Rota in Rec. Part. 1. Dec. 526. n. 2. decis. 48. n. 1.* Nec redditur Dispensatio subreptitia & invalida, quando id, quod tacetur tantum versatur circa causam impulsivam, & sine qua nihilominus dispensatio concessa fuisset, licet difficilius. *Pirking in X. lib. 4. tit. 1. n. 172.*

PO-



POSITIO DECIMA SEPTIMA.  
DE SIMONIA.

§. I.

**C**Rimen hoc in veteri lege in Persona Giezi, in nova lege in persona Simonis Magi punitum fuit tanquam gravissimum vide *Suarez. de Sim.* unde Paschalis Pontifex asserere non dubitavit, omnia crimina ad comparationem simoniæ hæresis quasi pro nihilo reputari *Can. ult. c. 1. q. 7.* summa enim inferitur injuria rebus spiritualibus dum pretio temporali æstimantur *L. 31. C. de Episc. & Cler.* nullus enim locus tutus esse poterit, si auri sacra fames in veneranda penetralia proserpat *Brunn. in. C. L. ead.* & ideo in actis Apostolorum Simoni Mago respondit Apostolorum Princeps: Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam existimasti donum DEI pecuniâ possideri. Et ideo spectatâ Simoniacorum intentione, fundamentum hujus criminis avaritia est, ut bene animadvertit *Urbanus 2dus in Can. 8 c. 1. q. 3.* non enim offerrent pecuniam pro re spirituali ut spirituali, sed ut ratione rei spiritualis consequantur temporale: unde Simoniacorum argumentum est: temporale emo, spirituale non emo, ad quod respondet Paschalis Pontifex, qui unum emit sine quo nec alterum provenit, neutrum inventitum derelinquit *Can. 7. c. 1. q. 3.*

§. II.

Aliquid accipere pro Ministerio & officio Ecclesiastico exercendo simoniacum est. *cap. 29. 3. 8. & pas. sim X. h. t.*

§. III.



§. III.

Nusquam tamen probatur simoniacum esse, ab ingredientibus religionem aliquid accipere pro sustentatione personæ ingredientis *L. 31. C. de Episc. & Cler. Brunn. in C. cad. L. Herthals lib. 5. X. tit. 3.*

§. IV.

Siquis habeat jus quæsitum in beneficio ipsique injusta vexatio fiat, tunc potest pecunia vel alia re pretio æstimabili hanc vexationem redimere absque simoniæ vitio. *Cap. 28. X. h. 2. Brunn. in C. tit. 8. lib. 3. n. 6. Herthals lib. 5. X. tit. 3.*

§. V.

Quilibet licitè potest servire Episcopo vel alii, spe futuræ remunerationis, nec simonia committi; cum sine pacto & conditione serviat, nec Episcopus directè pro hoc servitio ei providere in beneficio intendat *Gloss. in cap. quid proderit dist. 61.*

## POSITIO DECIMA OCTAVA. DE FEUDIS.

§. I.

PLurimi Historicorum volunt, quod antequam Carolus Magnus Germanos bello subegerit, Feudi vocabulum ejusque natura hisce populis planè incognita fuerit, hinc quidquid tenebant, non Feudilege, sed proprio jure possidebant, & de illo tanquam allodio disponere poterant *Stryk. dissert. Jurid. Hallens. disp. 14. c. 3. n. 1.* itaque feudorum origo gentibus germanicis adscribitur, & hodiè ferè in sola germania ac terris olim à germanis occupatis feudum receptum est, cujus disceptatio regulariter in Consilio Aulico

E

Imp.



Imp. ventilanda, hinc in *ordinat. judicii aul. tit. 2. constitutum* legimus - In unserem Reichs Hofrath sollen alle und jede Sachen / des H. Römisch. Reichs / desselben Hoheit / Recht / Herrlichkeit / Regalien / hohe und niedere lehen / etc. vide *Swanman. obs. 11. n. 2. Blum. tit. 41. n. 1. Ab Andler in Jurispr. publ. & priv. l. 2. t. 1. p. 1. n. 10.*

§. II.

Sine investitura feudum nullo modo constitui potest arg. 1. *F. 25. Struv. syntag. Jur. feud. cap. 8. aphor. 3. n. 2.*

§. III.

Et investitura abusiva vasallo non jus in re five ipsum jus feudi, sed solum jus ad rem tribuit vid. 2. *Feud. l. 2. 7. 26. §. si facta it §. 33. Struv. syntag. Jur. feud. cap. 8. aph. 9. Math. de affict. in c. 1. §. si facta n. 1. Zoef. tr. feud. c. 6. n. 6. Rosenthal. c. 6. concl. 6. n. 7.*

§. IV.

Si quis rem tanquam feudalem per 30. annos bona fide possederit, praesumitur facta investitura, & per praescriptionem feudum proprium constituitur & acquiritur 2. *F. 33. Rosenthal. cap. 2. conc. 61. vide Struv. syntag. Jur. feud. c. 8. aph. 12. n. 1.*

§. V.

Non ipso jure dominium utile ob commissam feloniam ad dominum revertitur, sed prius per sententiam vasallo adimitur *Rosenthal c. 10. concl. 41. Ritterbusch. part. feud. l. 7. c. 6. q. 15. nullibi enim in jure feudali dicitur, ipso jure dominium utile ad dominum reverti.*

## POSITIO DECIMA NONA.

### DE JURE PUBLICO.

§. I.

Nonnulli sunt, qui studia juris publicum studiosis incho-



scholis ac Academiis adhuc versantibus e manibus eripere conantur & in Aulis Principum demum usu & experientia addiscendum esse arbitrantur periculosum esse dicentes, Judicio multorum committere ea, quae ad Aulas solum, Principumque secreta consilia, unice pertinent; verum cum id tantum in Doctrina juris publici agitur, ut illa jura, quibus Sacri Imperii caput in Recessibus Imperii, aurea Bulla, Capitulationibus Caesareis, Pace Profana ac Religiosa, denique & Pacificatione Osnabrugo Monasteriensi, aliisque actis Publicis, suffragio S. Caesareae Majest. ac universorum Imperii Juris factis, omnium cognitioni prestent, pro Arcanis reputari nec possunt nec debent *Schwed. cap. 1. N. 9.*

§. II.

Camera cum Judicio Aulico Imperiali concurrentem habent Jurisdictionem *Casp. Liepold. de concurr. Jurisd. q. 4. Blum. tit. 25. n. 41.*

§. III.

Nec morte Imperatoris Jurisdictio Cameralis concidit *Burgold. ad Instrum. Pac. P. 2. D. 20. N. 10. Schwed. cap. 13. N. 8. Blum. tit. 25. n. 9.* at Consilium Caesareum aulicum cum defuncto Imperatore extinguitur.

§. IV.

Ad summam appellabilem in utroque hoc summo Judicio constituendam sola fors sine usuris consideratur *Uffenbach. cap. 10. sect. 2. subsect. 2. pag. 107. Schwed. cap. 13. n. 12. Blum. tit. 46. n. 13.*

§. V.

Rerum spiritualium Jurisdictio denegata Camerae: ut Caufarum Matrimonii &c. *Gail. in obs. 103. in sine memorial. vom Jahr. 79. ubi affessoribus injunctum fuit:*

E 2

Daß



( 36 )  
Daß sie sich der Matrimonial-Sachen entschlagen sollen.  
*Thom. Mich. de Jurisd. lib. 39.*

POSITIO VIGESIMA.  
DE BENIGNITATE.

§. I.

CORONIDEM impositurus viginti hisce positionibus meis utar verbis Juris Consulti Marcelli: benigniorem interpretationem sequi non minus justius, quam tutius, quare si minus corresponderium omnium expectationi, spero, fore, ut benevola interpretatio suppleat defectum. Juxta ergo Marcelli responsio Justitia dicitur in re dubia benigniorem partem sequendam & secundum decretalem *Bonifacii 8. in cap. 45.* quod est verisimilius vel quod plerumque fieri consuevit considerandum esse, quibus ex fundamentis sequitur.

§. II.

Si juridicè quis probatus sit nocens, quem judex privata scientia scit esse innocentem, eum in criminibus condemnare non debet *cap. 1. de judic. in 6. Clement. 1. §. rerum.*

§. III.

Si tres adsint judices, quorum unus condemnat in 15, secundus in 10, tertius in 5. ex benigniori sententia prævalebit opinio condemnantis in 5. *cap. 1. de Arbitr. in 6.*

§. IV.

Cum restrinxerit Consilium trident. impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus de futuro ad primum gradum, benignitas & verisimilitudo ex postulat, ut id obtineat in locis in quibus concil. non est receptum.

§. V.

Qui in utero est, habetur pro nato quoties de favore illius agitur.



77-α (1+12)

56.


ULB Halle 3  
004 997 492



WDIP











263

1719.17

# POSITIONES THEORICO - PRACTICÆ ET CANONICO - CIVILES

QVAS  
OPITULANTE TER SANCTA TRIADE  
EX  
DECRETO ET AUTHORITY  
*INCLYTI JURISCONSULTORUM ORDINIS*  
IN PERANTIQUA UNIVERSITATE ELECTORALI  
ERFORDIENSI,

DECANO  
DOMINO  
D. ERNESTO TENZELIO,  
JCTO, CONSILIARIO REGIM. ELECT. NEC NON JU-  
DICII ELECT. MOGUNT. PROVINCIALIS ASSESSORE  
ET CONSULE CIVITATIS PRIMARIO ETC.

PRO SUMMIS  
IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBUS RITE CONSEQUENDIS,  
SOLENNI ERUDITORUM VENTILATIONI SISTIT  
CAROLUS PHILIPPUS *Söven*/  
BRUXELLENSIS,  
CELEBERRIMI AC IMPERIALIS MONASTERII ORD. S. BENE-  
DICTI IN MONTE D. MICHAELIS ARCHANGELI PROPE BAMBERGAM  
SECRETARIUS,  
DIE XIV. AUGUSTI MDCCXIX.  
LOCO ET HORIS CONSUETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOHANNIS HENRICI GROSCHII, Academiae Typographi.